



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] aliquis teneatur restituere id quod de pecunia vsuraria iusto lucro
lucratus est? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

Utrum quicquid de pecunia usuraria quis lucratus fuerit, reddere teneatur?

419

*Quol. 3.
ar. 19. C.
op. 67.*

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod quicquid de pecunia usuraria aliquis lucratus fuerit reddere teneatur. Dicit enim Apollolus ad Rom. 11. Si radix sancta, & rami. Ergo eadem ratione si radix infecta, & rami. Sed radix fuit usuraria. Ergo quicquid ex ea acquisitum est, est usurarium. Ergo tenetur ad restitutionem illius.

*s. cum tu.
extra de
usuris.*

¶ 2 Præterea, Sicut dicitur extra, de usuris, in illa decretali, Cum tu, f. sicut asseris: Possessiones, quæ de usuris sunt comparatæ, debent vendi, & ipsarum pretia his à quibus sunt extorta, restitui. Ergo eadem ratione quicquid aliud ex pecunia usuraria acquiritur, debet restitui.

¶ 3 Præterea, Illud quod aliquis emit de pecunia usuraria, debetur sibi ratione pecuniæ, quam dedit. Non ergo habet maius ius in re quam acquisiuit, quam in pecunia quam dedit. Sed pecuniam usurariam tenebatur restituere. Ergo & illud quod ex ea acquirit, tenetur restituere.

SED contra, Quilibet potest licitè tenere id quod legitime acquisiuit. Sed id, quod acquiritur per pecuniam usurariam, interdum legitime acquiritur. Ergo licitè potest teneri.

*ar. 1. hu-
m. q.*

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, res quædam sunt, quarum vsus est ipsa earum rerum consumptio, quæ non habent vsum fructuum secundum iura. Et idèd si talia fuerint per vsuram extorta, puta denarij, triticum, vinum, aut aliquid huiusmodi, non tenetur homo ad restituendum, nisi id quod accepit: quia id, quod de tali re est acquisitum, non est fructus huiusmodi rei, sed humanæ industriæ: nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis: tunc enim tenetur ad recompensationem nocuenti. Quædam verò res sunt, quarum vsus non est earum
con.

consumptio: & talia habent vsum fructum, sicut domus, & ager, & alia huiusmodi. Et ideo si quis domum alterius, vel agrum per vsuram extorsisset, non solum teneretur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus: & ideo ei debentur.

Ad primum ergo dicendum, quod radix non solum habet rationem materiam sicut pecunia vsuraria, sed habet etiam aliquam rationem causam actiue, in quantum administrat nutrimentum. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod possessiones, quae de vsuris sunt comparatae, non sunt eorum, quorum sunt vsurae, sed illorum qui eas emerunt: sunt tamen obligatae illis a quibus fuerunt vsurae acceptae, sicut & alia bona vsurarij. Et ideo non precipitur, quod assignentur illae possessiones his, a quibus fuerunt acceptae vsurae: quia forte plus valent, quam vsurae, quas dederunt. Sed precipitur quod vendantur possessiones, & earum pretia restituantur, scilicet secundum quantitatem vsurae acceptae.

Ad tertium dicendum, quod illud quod acquiritur de pecunia vsuraria, debetur quidem acquirenti, non propter pecuniam vsurariam datam, sicut propter causam instrumentalem; sed propter suam industriam, sicut propter causam principalem. Et ideo plus iuris habet in re acquisita de pecunia vsuraria, quam in ipsa pecunia vsuraria.

ARTIC. IV.

Utrum liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod non liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura. Dicit enim Apostolus. Rom. 1. quod digni sunt mortem non solum qui faciunt peccata, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sed ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, consentit vsurario in suo peccato, & praebet ei occasionem peccandi. Ergo etiam ipse peccat.

420
3. di. 37.
a. 6. ad 6
Et ma. 9.
13. ar. 4.
ad 17. &
19. & op.
21. q. 3. fi.
& opus.
73. c. 17.

Q 3 ¶ 2 Præ-